





1755.

1. Wepium, Franc. Udals. Theod: De integratione, et separatione  
variabilium, in aequationibus differentialibus,  
duas variables continentibus.
2. Beckerus, Hermannus: De imperante subditum religio-  
nis causa emigraturum transplantandi jure gaudente  
jurae pacificat relig. & Wo aber unvser:
- 3<sup>a</sup> Eschenbach, Fr. Christl: Testamenta sunt jura naturalia
- 3<sup>b</sup> Handtraj, Eust. Christl: De salubri subsonno  
sita . . .
4. Karssten, Wencesl. Fr. Gustavus: De algebra exaeque  
differentia ab arithmetica
5. Mankel, Ern. Fr. Frid: De rerum divisione et  
acquisitione earum seu dominio.
6. Mankel, Ern. Fr. Frid: Calendarium Mecklenburgense.
7. Mankel, Ern. Fr. Frid: De coachone, et munere  
et officia publica, speciatim juxta jus Lubicense.

1755.

8. Mangel, Im. Fo. Fisd: De advocato, fatalia negligente

9. Mangel, Im. Fo. Fisd: De liberis, cum parentibus simul in testamento nominatis non cohereditibus, sed substitutis

1756.

1. Balleke, Jacobus Mauricus: De Discrimine sponsoris ac expromissoris in jure civili. Praesens, quo quadragenaria . . . sacra . . . recitanda . . . commendat.

2. Balleke, Jacobus Mauricus: De modis gustus sponsoris et expromissoris obligatio solvatur. Praesens, quo ad festum paschalem rite celebrandum cohortatur.

3. Balleke, Jacobus Mauricus: De genuina indole anionis prolis.

4. Balleke, Jacobus Mauricus: De solutione pecuniae pupillaris

5. Rosenbad, Joh. Christ: Effatum Gen. IX. b. homicidio pro nam capitalis decernens esse legem divinam positivam eamque universalem

1756

G. Mangel, Ern. Jo. Fried: Calendarium Medlen-  
burgense.

1757.

1. Heppius, Angelus Fr. Van: De Directoris corporis  
Evangelici officio

2. Becker, Hermann: De indole contractus locationis  
conductionis adjecti assicurationis. . . . usque  
perveniat in concursu creditorum jure atque . . .  
favore.

3. Beckerus, Hermann: Insignes Differentiae iural  
Hamburgensis fallimentorum ordinationis d. a.  
1753 ab antiqua de 1647 et a jure communi.

4. Mangel, Ern. Jo. Fried: Specialia juris statutarie,  
Pomeranicis

5. Mangel, Ern. Jo. Fried: De S. R. J. principum  
dominio eminenti usque applicatione ad ama-  
nam

1757.

6. Anistorpius, Francus Georgius: *De bello punitivo secundum jus naturale haud illicito*
7. Wiere, Walter Vincent: *Gedanken von der Verbesserung der Fertigkeiten, der Anzeig seiner Sommer-Vorlesungen vranusgesch*
8. Wiere, Walter Vincent: *De rei vindicatione juris Tabularis*

1758.

1. Beckerus, Hermann: *De litteris cambiariis earumque prolongatione*
2. Beckerus, Hermann: *De damno in substantia orto ab usufructuario non praestando.*
3. Ederbach, Christian Schrenk: *Præe matheseos usus adeo universalis.*
4. Mangel, Fr. Fr. Fried: *De angelis*

m  
y  
T  
u







INTELLIGENTIAE ET SEPARATIONE  
DE ARITHMETICIS  
IN AEQVATIONIBVS DIFFERENTIALIBVS DVAS  
VARIABILES INVENTIVS

REVERENDISSIMO AC CLEMENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO  
**DOMINO FRIDERICO,**

PRINCIPI HEREDITARIO DUCATVS NECKERBVRGICI  
ARCHIEPISCOPO ELECTORI SVEVICI ET RACVIBVRI

PROFESSORI ET PRAEFECTO VNI  
VERSITATIS  
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO

CVM CONCESSIT  
SERENISSIMO FACULTATIS PHILOSOPHICAE  
PVBLCI DEFENDERE


**M. FRANC. VDALR. THEOD. AEPINVS**  
R. ACAD. SCI. SVEVIC. BEROLINENSIS ASTRONOMICAE

ANNI 1784. M. C. 10. 10.

IN VNI  
VERSITATE  
BEROLINENSIS

\*\*\*\*\*

1784  
10. 10. 1784





Q. D. B. V.

DE

SALVBRI SVB SOMNO  
SITV,

38

1755, 38

DISSERTATIONUM PHYSICO-MEDICARUM  
DE  
DORMIENTIBVS.  
TERTIA.

4

QVAM,

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO FRIDERICO,  
DVCE AC PRINCIPE HAEREDITARIO MECKLENBVRGICO,  
PRINCIPE VANDALORVM, SVRINI ET RACEBVRGI, COMITE ITEM  
SVRINENSI, TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE  
DOMINO:  
PRINCIPE ET DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO,

ANNO MDCCLV. DIE XI. OCTOB.

PVBLICE DEFENDENT,

PRAESES

GVST. CHRISTIAN. HANDTWIG,


MED. DOCT. HVIVSQVE PROFESSOR P. O. SEREN. PRINC,  
CONSIL. AVLICVS,

ET

RESPONDENS

CHRISTIANVS LVDOVICVS IOHANNES BEHM,

NEOSTADIO-MEGAPOL. L. L. C.



ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.

38

DISSECTATIONUM PHYSICARUM

DE

FORMENTIS

DE


DOMINO FRIDRICO

CHRISTIANO

FRIDRICO

CHRISTIANO





## SECTIO IIIA,

DE  
SALUBRI SUB SOMNO SITU.



§. 50.

Communis hoc est Gentium moris, regularem suum somnum, ordinarium sive, capere *decumbendo*. Unde (quod reliqui non obtinuerunt situs) *iacendi cubandique* verba, absolute etiam posita, de dormiendi statu vsurpant aliquando Romani, *cubiculum* etiam pro conclavi dicentes dormitorio, vti *cubile* illis locus est, cui indormimus; quibuscum concinnunt Germanica nostra, *das Lager, sich nieder legen*, et quae sunt consonantia, coeterarum quoque gentium, plura.

§. 51.

Idem ille Situs dormituris *commodissimus* est, quia maxime *naturalis*, statui. scopoque somni optime conformis, neque proinde temere in illum aut frustra est

F 2

con-

consensum. Somnus enim uti totus quantus in sanitatis, non detrimentum verum praesidium maximum venit adornandus, ita et in eo singula corporis membra, horumque musculos oportet, ad debitum fibrarum recuperandum cum tono robur, nil quod expediant habere, sed otiosi suaviter; quod sub decubitu obtineri optime, in alio Positu non item, et docet ratio, et communefacit partim ipse sensus.

§. 52.

Et *Stationi* quidem convenire cum somno minime potest omnium. Captari in illa potest, non vero capite; inchoari, per momenta et intervalla, non absolvi. Etenim imperat hicce, ceu modo dictum, quietem motus voluntarii instrumentorum, et ab agendo expediendoque cessationem gratam; ista autem tensionem, actionemque musculorum plurium postulat sibi, eandemque, ad sustinendam in aequilibrio corporis molem, validam fatis et operosam. Contraria itaque sunt Statio atque somnus, neque a robustissimo Herculis corpore simul expectanda, cujus, urgente illud somno, ut pulcre pingit SENECA, in Herc. fur. Ac. IV. v. 1045. mox

- - *fessa cervix, capite summisso, labat.*  
*Flexo genu, iam totus ad terram ruit,*  
*ut caesa sylvae ornus.*

§. 53.

Finge sed etiam possibilitatem naturalem, vel fac potius, artificiose erectum sustineri statuminarique dormientis corpus, non tamen, praeter incommoda alia, ejus desinet moles, quibus incumbit ad perpendicularum, fat

fat graviter et moleste premere subjacentes partes inferiores. Sanguinis item, cujus, vt reliquorum humorum, quantum facilius isto sub Positu ad illas est descensus et adfluxus, difficilius tantum adscensus refluxusque, impeditior sic circulus reddetur; unde pedum gravitas, dolor, dispositio ad oedema osos tumores.

§. 54.

Neque vero *Sessio* conveniens sub somno atque falubris situs iudicari potest, si fiat corporis trunco perpendiculariter arte erecto, aut, quod pejus est, inclinato antrotrorsum, incumbendo v. c. mensae. Concomitari enim eam, a dormientibus forte adamatam, aut ex quacunque ratione continuatam, oportet, praeter quaedam quae cum Statione habet communia, eadem procul dubio incommoda, quae vigilantibus inde evenire est in confesso, nimirum quod corpus sic hypochondriaco malo praeparatur, imique ventris obnoxium passionibus reddatur; quia nempe, interpretante nervose HOFMANNO, sub Sessione incurvatum corpus talem angulum efformat, qui ventrem premit, et intestinorum flexuras in angustias compellit, atque hinc flatus sursum versus ventriculum retruduntur; deinde etiam corporis incurvatio vasa mesenterii, quae ad venam portae decurrunt, comprimit, et hoc modo liberum sanguinis progressum intercludit; ex inde vero humorum stagnationes ac viscerum infarctus suos natales trahunt, Medic. Ration. Systemat. Tom. I. L. II. Cap. X §. 10. Quinimo gravius dormientibus metuendum, vt qui immoti magis diutiusque in isto perseverare positu praesumuntur. Insuper et hoc accedit, quod somnus ejusmodi, facie prona, velut

in mensa, ob difficiliorem sanguinis regressum *Capiti* gravitatem, *ingenioque* stupiditatem accersat, imo et creber ejusmodi sub somno positus graves aliquando pariat Ophthalmias, monente Eodem cit. loc. §. 34. Quae singula vti ab experientia confirmantur, ita habere literatos nominatim, cur abs hujus Modi somno caveant sibi diligenter, simul ex inde intelligitur.

§. 55.

Commoda quidem et innocens magis est utique Sessio in accommodata quadam reclinatoria sella, *Schn:* *Stuhl* vulgo dicta, ad decubitus non illaudabilis quandam formam proxime accedens. Attamen somni pleni scopo non eam convenire vsquequaque aut facere satis, intelegi haud difficulter potest. Et norunt sane ipsi illi, quibus usu ea venit aliquando, sive a prandio, qui mos est multorum, sive de nocte etiam, et sive porro ex quadam necessitate id fiat, sive vltro consilioque deliberato, genium sic defraudari suum, ac luculentum, inter somnum, capitur qui ita sedendo, et illum quo fruimur decumbendo inter cedere discrimen agnoscunt bene, quando dicentes v. c. audimus, *sie wollen sich mit Fleiß nicht niederlegen, wären über Nacht nicht zu Bette gewesen, hätten nur ein wenig auf dem Stuhl geschlafen,* et quae sunt similia. Neque etiam dubium, medicos, ut qui meridiationi male favent vtplurimum, concedendo sub illa imo et suadendo sessionem, somni obrepentis eo ipso infimul spectasse promptiorem iterum excussionem.

§. 56.

Maximum itaque sanitatis praesidium, vti certissimum plenissimumque fessi, hinc virium anhelantis refectio-



fectionem sub somno sufficientem, corporis solatium, a *Decubitu* et expectari et reportari quoque potest, non tamen promiscue omni. Quatuor enim generaliores sunt decubitus *formae*, decubitus in dorso, qui idem dici solet *supinus*; in *ventrem* seu *pronus*; in *latere dextro*; et in *sinistro*, quae quia ab invicem luculenter satis sunt diversae, non externo tantum positu et adspectu, verum diverso non minus etiam effectu, idcirco haud indifferenter, ast circumspiciatissima cum electione, in usum veniunt vocandae a sanitatis longaeviratisque studiosis. Sed et singulas quatuor illas decubitus formas sive modos, (*supinum* imprimis) multam adhuc, eandemque non insuper habendam, admittere distinctionem, ex dicendis inferius patebit.

§. 57.

A *Supino* nunc ut liceat exordiri, damnatur is ab artis salutaris doctoribus plerisque vnde generaliora, quibus rejicitur, leguntur passim contra eundem pronuntiata. Ita, ut e multis nominemus aliquos, JII. HOFMANNVS cit. l. §. 35. *Neque pro sanitate* inquit, est *supinus* decubitus! Et DAN. SENNERTVS: *Supinus decubitus valde nocet!* L. IV. P. II. Cap. IV. p. 991. Institution. medicinae. JOHAN. porro KATZCHIVS, cujus *Nonnulla de regimine sanitatis* celebri Salernitanae Scholae subjuncta reperiuntur, in *dorsum*, ait, *dormire supine, omnibus malum est!* Et iam pridem AVICENNA: *Resupine dormire, est malum!* In Canone Medicinae L. I. F. II. D. II. Cap. IX. Quin, dicente in EOBANI HESSI *Carmina* de sanitate tuenda, commentatore, JOHANNES PLACOTOMO, fol. 36. p. 2. *Supinus ab omnibus damnatur!* Nos tamen maluimus dicere

dicere damnari eum a plerisque, cognitum quippe habentes, qui eant in sententiam contrariam, non prorsus deesse dissentientes; exemplo vel nonneminis illius apud GE. WÖLFGANG. WEDELIUM, in *Diæta Litterarum*, Sect. III. Cap. I. §. 4. supinum decubitum, maxime esse naturalem, naturaeque convenientissimum, statuentis,

§. 58.

Quam vero conveniant in condemnando, tantum differunt plerumque in damno inde proveniente nominando, sive reddenda condemnandi ratione. Quod dum observamus, simul sic percipitur, non paucas adeo fore; quarum accusatur, noxas, in cumululum si conferantur. Et sane, praeter incommoda varia leviora, nullus facile magnus morbus est, cujus non culpa quaedam illi tribuatur, cujus occasio esse, ad quem praeparare, cui initia praebere, aut incrementum, non a quodam is perhibeatur; quid quod vel ipsius mortis inopinatae, qua opprimi et extingui subito comperitum est dormientes quosdam secure, aliquando statuatur causa. Illarum itaque promiscua multitudo ne sit Lectoribus gravis, *quampulrimas* in certum quendam ordinem salvo meliori digestas, iam perensemus; initium quidem faciendo ab affectibus atque noxis infimae, ad mediam hinc progrediendo, indeque ascendendo ultimo ad supremam cavitate, s. caput ipsam. Quo facto, diiudicatio rei integra magis erit.

§. 59.

Quod itaque ex Abdominis damnis primum esto, accusatur decubitus sub somno supinus de *impedita concoctione*.

*dione.* Non levis hæc est; verum gravissima censenda  
 accusatio, et cujus Authorem habemus THEOPHRA-  
 STUM apud PLINIUM, Natur. Histor. Lib. XVIII.  
 Cap. IV. referentem: *Theophrastus celerius concoqui  
 dextri lateris incubitu, difficilius a supinis.* Optandum  
 autem erat, vt, quas ejus habuerit rationes, nobis quo-  
 que exposuisset Plinius. An itaque respexerit impedi-  
 tiorem, sive diaphragmatis in isto situ motum, sive ven-  
 triculi compressi actionem, aut ingestorum versus fun-  
 dum ejus atque Pylorum difficiliorem descensum, faci-  
 liorem potius regurgitationem ac adscensum, (quare ad-  
 sumpto vomitorio studiose imperari solet situs supinus)  
 aut refrigerationem ejusdem externam, aut denique  
 hæc et quæ alia in censum hic venire possent, sum-  
 ta simul, dicere non habemus. Comparari interim  
 etiam queunt, quæ de præferendo, in gratiam quoque  
 concoctionis, laterali sub somnum situ inferius occur-  
 rent suo loco. Vti coeterum id non perpetuum esse cu-  
 bitus supini symptoma, clarum fit inde, quod non cadat  
 in eos, qui cubitum forte eunt peracta coctione pene  
 pluribus horis a coena, vel prorsus incoenes, cum, quod  
 concoquat, jeiunus non habeat venter; Ita minus etiam,  
 oportet, infestet illos, qui cavent sibi a nimia per helua-  
 tionem ventriculi infarctione distensioneque, consilium  
 secuti salernitanum Cap. V. *vt sis nocte levis, sit tibi coena  
 brevis.*

§. 60.

FRID. HOFMANNUS l. cit. quatuor expressit no-  
 minatim morbos, quorum tres posteriores huc, inter  
 abdominales puta, itidem veniunt referendi, scribens:

G

"Ple-

"Plethoricos omni cura fugere oportet supinum  
 "decubitum, facile enim --- vel etiam in *calculus*  
 "uterinas sanguinis profusiones, & pollutiones nocturnas,  
 " - , incidunt,, Rationem reddit in praecedentibus,  
 "verbis : "quia vasa dorso instrata valde incalescunt.

Per *calculus* autem quo de propter observatas nobis varias  
 clarorum virorum inter sese dissensiones, visum est edifi-  
 cere hic paulo explicatius, procul dubio intelligit *cal-*  
*culus renum*, vtpote ad quem ratio a nimia vasorum in  
*calescentia* ducta attinet propius, et quemadmodum simi-  
 lem ob causam ab aliis etiam accusatur decubitus supinus.  
 Quod vt demus comprobatum, ad GUALTERUM  
 CHARLETONUM, Archiatrum quondam anglicum,  
 GUERNERUMQUE ROLFINCIUM, nostratem, quo-  
 rum vterque calculi historiae singuarem impendit ope-  
 ram, iuvabit provocasse inprimis.

§. 61.

CHARLETONUS itaque, in *Spiritu Gorgónico vi*  
*sua saxiparâ exuto* s. *de lithiâsi Diatriba*, S. I. Cap. IV. p.  
 96. s. posteaquam ex gestorum, quae ad Lithiasin, mate-  
 riam vel coacervando, vel renes versus concitando, me-  
 diate et occasionaliter faciant, numero perhibuit esse,  
 diuturnum equo succussorio infessum, in terram ab  
 alto insulturam, tripudium, somnum, decubitu supino,  
 notanter hisce subdit: *Verum in hoc opere peragendo coe-*  
*teris omnibus palmam praeripuit, vtpote majoris efficaciae*  
*existens, causa postremo recensita.* Ex supino enim corporis  
 Situ, lumbis supra modum calefactis, humores versus emul-  
 gentia viam affectant, & à spicis renibus illabuntur, eorum-  
 que pars aquosa et tenuior specie vaporum exhalat, reli-  
 cto,

Sto, quod coagulationis est prompte susceptivum, crassa-  
 mento, . . . Dispicendum tamen, an non substrata plumea,  
 et excalefacientia alia hic si non potissimum, saltem si-  
 mul sint accusanda. Sed ea de re nos alio loco.

§. 62.

Audiamus nunc ROLFINCIUM quoque, in *Ord. et*  
*Metb. Medic. Special.* L. II. S. III. Cap. LIV. p. 127. vbi:  
*Decubitus*, ait, *ratione somnus nonnunquam causa morbo-*  
*rum evadit, corpore supino si adornetur* - - - -  
 - - - *avitam libidinis in lumbis sedem dum calefacit,*  
*humores salini ὀργασμῶν concitati, συναγμά λιθώδες, lapido-*  
*sum coagmentum deponere possunt in renes.* Idem in pecu-  
*liari eademque proluxa de renum et Vesicae Calculo Dissen-*  
*ratione*, systematis modo laudati editionem aliquot  
 annis anteverte, quasi ex sententia aliorum (quam  
 vero et ipsam hic notasse convenit) scripserat, Cap. ejus-  
 dem XXXIII. sequentem in modum: Alii vituperant  
*supinum decubitum.* Ajunt avitam libidinis sedem cum *cale-*  
*facit*, humores pravos raptum habere, ὀργασμῶν concita-  
 tos ad *renes*, ibidemque resolutis tenuioribus crassiores  
 exercere dominatum, sicque fieri *συναγμά από τῶν γλι-*  
*χρῶν χυμῶν συναγεται,* coagmentationem ita dictam, quod  
 viscidus humor concreseat. Haecenus ROLFINCIUS.  
 RORARIJ atque ZACUTI consensus exhibetur inferius,  
 vbi de Sententia Avicennae §. LXIX. et LXXI.

§. 63.

Ab aliis quoque quibusdam Medicis doctis de eadem  
 itidem culpa accusatur quidem decubitus supinus, ve-  
 rum non ob excalefactionem, sed diversam prorsus ratio-  
 nem, *compressionem* nimirum renum. Huc referendus  
 esse

esse videtur G. W. WEDELIUS, l. cit. inter alia scribens: *In supino decubitu viscera infimi ventris renibus magis in cumbunt, sicque seri segregationem impedire videntur.* Huc porro pertinent quae in Dissert. *Rumpbiana* habita nuperius sub Praesidio Viri Summi, Illustr. ANDREAE ELIAE BÜCHNERI, de *necessaria Medici ad aegrotantium cubitus attentione*, §. XXIV. collatis praecedentibus, proposita leguntur. Post laudatam nimirum illic generatim lenem inflammatorum vasculorum *compressorem* ab utilitate sua, de renum inflammatione, quae *Nephritudis* etiam *simplicis* nomine venire solet, memoratur speciatim, supinum decubitum in illa eximie mitigare dolores; sed mox tamen addita sequenti hac cautela: „Consultius tamen est, ut interdum aeger hunc immutet situm, et se in alterutrum latus convertat, ne diuturniori supino decubitu imperato in *Plethoricis* hominibus *sanguinis per vasa renalia transitum nimis retardemus*, & dum incauti vitium vitamus, in contraria curramus, generandoque renum calculo ansam demus,..” Consona etiam sunt, quae de sitis supini per compressionem efficaciam in *augmentando* (quae augmentatio haud differt a generatione continuata) calculo renali habentur in Clariss. Joh. Christ. Gerhard. KNOLLII *Gedanken von der Lage der Kranken* p. 10. verbis: *Auch diejenigen dürfen sich diese Lage (auf den Rücken) nicht choisiren, die mit dem Nierenstein beschwehret. Die Nieren werden von denen andern Theilen des Unterleibes gedruckt. Eine Zusammendrückung aber verhindert die freye Circulation des Blutes, und Absonderung der daselbst abzusendernden Theilchen, in und durch dieselben. Dieses thut sehr viel zur Vermehrung des Steins.*

§. 64.

Vtraque autem haec virorum doctissimorum aetio-  
logia non incommode posse, si non debere, combinari  
videtur; quorum itaque sententia, & experientia sufful-  
ta & ratione, stantes nos quoque decubitum supinum  
inter procatarticas aut concurrentes aliquando renalis  
calculi causas collocare nulli haesitamus. Inprimis vero  
in plethoricis, aut dispositis siue haereditarie siue aliunde,  
ne dicamus de nephriticis iamiam, quibus renes per in-  
flammationem debilitantur, aut qui ipsa prorsus calculo-  
sa concreta iam admittere coeperunt adfuerunt-  
que.

§. 65.

Contrarium qui sensisse deprehenduntur, ii praeter  
difficilius aliquod AVICENNAE dictum, sequentis ex  
versione latina tenoris: *Et dormire super dorsum, est ex eis,  
que lapidi conferunt!* non habent quo magnopere se tue-  
antur. Verum enim vero, praeterquam quod nuda cu-  
iusdam auctoritas non adeo quempiam veritatis studio-  
sum debeat movere, et quod opponendo authoritati au-  
thoritatem, eandemque plurium quod patet ex praeced-  
entibus, elevari *καὶ ἀνθρώπων* queat, commodam etiam  
illud patitur facile interpretationem, cumque sententia  
recepta conciliationem. Cuius cum triplicem modum  
observaverimus in medium esse prolatum, neque nullam  
non Avicenna hodiernum mereatur attentionem, in diae-  
teticis praefertim, monente ipso HOFMANNO, T. I.  
Cap. VI. de *Medicina eclectica* §. 7. sua nunquam defraud-  
andus laude, idcirco in legentium gratiam illum plene  
et distincte hic proponemus.

§. 66.

Et unus quidem conciliationis modus est, quo per lapidem in textu Avicennae intelligitur calculus non tam renum, quam potius Vesicae, idemque non qua generandus, sed qua generatus, et a collo ejus, propter, per ejus obstructionem urinae eventem suppressionem periculi plenissimam, quovis meliori modo arcendus. Qua certe ratione nihil contrarii docuerit Avicenna, locutus <sup>a)</sup> de situs supini circa calculum effectu, non eodem respectu, <sup>β)</sup> & quod suffecerit, hic vel solum, de calculi non eodem, verum *diverso* prorsus *subjecto*.

§. 67.

Istam conciliandi viam ingressus est ROLFINCIUS, in Dissert. superius adlegata, scribens: *Avicennae ascribitur sententia ab interpretibus, quod jubeat cubare nephriticos in dorso. Alii vituperant supinum decubitum, ajunt - - - (que haec omittimus, repeti possunt e §. preced. 62.). Conciliatio talis est. Decubitus supinus in renum calculo vix habet locum: at in vesicali pertinet ad τὰ ὑπερακρωστικά figuras levantes: impedit enim, quominus calculus incidat in collum,.* Qua ratione commode liber servatur urinae effluxus. Vnde BORHAVII *de cognoscendis et curandis morbis*, aphorismus 1421. ita habet: *ita in Vesica haerens (calculus) ut orificium ejus obturet, impossibilem facit mictum, nisi supino.* Quod si vero jam (vti Idem Aphor. 1439.) *in collo vesicae haerens impedit urinam, cathetere repellendus!* Hanc vero Chirurgiam itidem faciliat ac secundat situs in dorso supinus, vti haud difficulter intelligitur et recte non minus observatum est a Clariss. KNOLLIO, l. cit. pag. 8. scribente: *Ich muß einige Krankheiten ansehen,*



führen, die eine Lage auf den Rücken verlangen. Es wäre gewiß was heilfames, wenn man dadurch den Stein curiren könnte. Dies ist einem vernünftigen Arzt niemals im Sinn kommen. Dennoch verschaffet diese Position Linderung, wenn der Blasen-Stein sich in den Blasen-hals gegeben, daß daher der Abfluß des vrins nicht erfolgen kann. Der Stein kann alsdenn zurück geschoben, und ein Catheter appliciret werden. Zu geschweigen, daß der Stein vermöge seiner Schwere sonst nach dem Blasen-hals druckte, so kann die Bewegung des Zwergfels, so die Theile des Unterleibes zusammen drückt, denselben nicht einpressen ꝛ. Et jam GALENO eadem ex ratione in usu fuit concussio resupinorum, ceu testatur ipse Lib. VI. Cap. IV. de Loc. affectis, ubi: *Atque in pueris etiam, inquit, quos lapis in vesica cruciabat, vidimus soepenumero urinam retineri. Eos itaque resupino figurato corpore concussimus, ut ita a meatu lapis dimoveretur.*

§. 68.

*Alter modus esto ut statuatur, Avicennae in controverso illo ejus loco sermonem equidem de ipso esse calculo Renum, adeoque eadem, quo de nobis, calculi subjecto, est diverso tamen prorsus respectu, et destinguendo tempora generationis exclusionisque; qua ratione itidem non contradicentem nobis habemus Avicennam.*

§. 69.

Hanc conciliandi viam praemonstravit ZACUTUS LUSITANUS in solutione Problematis: *Virum decubitus super dorsum calculi morbo originem praestet? exstante in ejus Praxi historiarum, L. II. Cap. XVI. Eam, cum supra §. LXII. ad illam fuerit provocatum, et in sequentibus etiam ejus futurus sit usus, verbis Viri integris*

gris nunc exhibemus. Est vero sequens: „Negat Avic.  
 „18. 3. Cap. 18. dum sic ait: *Et dormire super dorsum,*  
 „*est ex eis quae lapidi conferunt.* Quod Oraculum nisi  
 „commode interpretatur, quomodo cum recta curan-  
 „di methodo consentiat, haud quaquam intueor. Ex  
 „hoc enim decubitu multo magis laeduntur nephriti-  
 „ci, et calculus augmentatur, quia *declinare facit vi-*  
 „*scosas materias ad Renes, et calorem fovet,* atque adeo  
 „tam passivum quam activum principium intendit et  
 „auget. Attamen, licet decubitus supinus laboriosus  
 „sit, et absolute reprobetur, I. Progn. 14. et ad renes ma-  
 „terias detrudat eosque non parum excafciaat; sicut  
 „tamen non nunquam viribus resolutis confert, et  
 „ex longo itinere fatigatis, quia eo situ membra omnia  
 „in imum decumbentia, otiantur: ita et in *nephritide*  
 „ad *cujus generationem vehementer nocet supra dorsum*  
 „*cubare,* aliquando *prodest,* videlicet *quam detrudendus est*  
 „*a renibus vel vreteribus lapis cujus expulsionem descen-*  
 „*sum juvat,* compressione, laxitate, et calore; quo nomi-  
 „ne in *accessione nephritica* ab Avicenna laudatur, non  
 „aliter quam tunc temporis festinus descensus, equitatio,  
 „et alia reliquis temporibus noxia commendantur.  
 „Quare *decubitus supra dorsum, est ex eis, quae conferunt*  
 „*ad lapidis generationem et augmentum.* Zacutum sequi-  
 „tur CHARLETONUS l. cit. pag. 98. nisi quod com-  
 „pressionem (dubium an consilio) praetermiserit, vti ex se-  
 „quentibus ejus patet. *Sonore,* scribit, *reclamant nonnulli,*  
 „*Avicennae haec verba 18. 3. Tract. 2. Cap. 18. et dormi-*  
 „*re supra dorsum, est ex eis, quae lapidi conferunt, ad*  
 „*suam salivam tornantes, & supinum in somno decubitus, ad*  
 „*humoris in renibus contenti resolutionem, summo cum elogio*  
 „com-



commendant. Animadvertant vero *bi Kaxodozi*, aliud esse dorso in cubere *per omnem vitam*, seu toto generationis calculosae tempore; aliud in ipso paroxifmo: et *Avicennam significasse*, decubitum, in dorsum, reliquo tempore summe noxium, in paroxifmo, cum detrudendus est lapis, viarum laxitate et calore prodesse, & commo- dare pulsioni; sicut in, et coet:

§. 70.

*Tertius* modus est, quo conceditur, loqui Avicen- nam de eodem subjecto, calculo siue Renum, eodem quo- que respectu, scilicet generationis; *Praedicatum* autem explicatur ita, vt sensus sit, decubitum sub somno in dorso supinum *conferre*, non calculosis, quemadmodum *explicatur* phrasia ista communiter, sed utique ipsi calculo, siue ad calculum prognerandum augmen- tandumque. Atque ista ratione non tantum contrarii nihil, verum idem prorsus ipsum, vexatis illis verbis do- cuerit Avicenna.

§. 71.

Eum reperimus apud NICOLAUM RORARIUM, in libro qui inscribitur: *Contradictiones, Dubia, & Para- doxa, in libros Hippocratis, Celsi, Galeni, Aetii, Aeginetae, Avicennae, cum eorundem conciliationibus*, p. 599, f. *Capitula XVI* cujus sequens est initium: *Lapidi conferre dicit. (Avicenna) dormire super dorsum* 18. 3. *Tr. 2. Cap. 18, de curatione lapidis renum. Cujus contrarium, & ratio & usus ipse docent; cum namque a renum caliditate tanquam ab efficien- tia causa, procreentur calculi, renes vero, supino ex decubitu, miro modo incalescant, videtur in hoc, non vera prorsus, sani- tati proficua dixisse Avicenna, cum ipsa etiam experien-*  

H tia

*est oppositum nos, doceat.* Adfirmat dein, absonum, pro-  
 fecto *paradoxon* hoc videri, experientiaeque adversari  
 non modo, verum (quod probe volumus observatum)  
 etiam his, quæ ab ipso alias scripta sunt. Quod ut det  
 probatum, provocat primum ad ejus *libri 3. Tr. 4. cap. 1.*  
 in calce, tanquam ubi resupinum decubitus ac som-  
 num dorsum lædere testatus sit scribens: *Et nos quidem*  
*iam diximus, qualiter oportet esse formam jacentium super ci-*  
*bum; nunc autem dicemus, quod usus resupinationis multoties*  
*laedit dorsum, et laxat ipsum, cujus quidem cura est, usus*  
*surgendi plurimus.* Subjungit, superfluitates in somno  
 ad corporis profundum trahi, auctore eodem & 2. 1.  
*doct. 2. Cap. 9. & doct. 4. Cap. 20.* Denique superaddit  
 palmarium quendam locum, 3. 1. Doct. 2. Cap. 9. *de*  
*somno & vigilis, quippe ubi docetur differte, quod resupinus*  
*somnus superfluitates ad posteriora declinare facit, & reti-*  
*nentur, & per suos non incedunt canales naturales.* Unde  
 iam concludit, dormire super dorsum, vel juxta ip-  
 sius Avicennæ adlegata dogmata, lapidi conferre mini-  
 me posse. Hæc præmissa excipit tentata *Conciliatio*, his  
 omnino concepta verbis: *Quocirca dicamus, Avicennam*  
*per verbum illud, conferre, non juvamentum aut commodum*  
*sed perniciem magis, atque detrimentum indicare, ut ver-*  
*bis illis nil aliud nobis significare voluerit, quam si dixisset:*  
*Lapidis ad procreationem plurimum facit super dorsum dor-*  
*miri, renes quippe incalescunt, pituitososque e longinquo at-*  
*trahentes fucos, sua calida vi adurunt, calculorumque gene-*  
*ratio inde originem trahit.*

§. 72.

Jam si dicendum nobis quid videatur, postulat  
 æquitas in interpretando illud omnino, in explicando  
 con-

controverfo Avicenna dicto anniti eo, vt cum experien-  
 tia atque ratione, imo, quod maximopere attendendum,  
 cum ipsis ipsius hypothefibus reliquis, in gratiam iterum  
 redeat ita nos generatim. Specialis autem conciliandi mo-  
 dus committendus videtur iis; maxime, qui a copia textus  
 originalis cognitioneque sunt instructi. Atque isto nomine  
 ROLFINCIUM eminuisse, cum varia Viri doctissimi  
 monumenta palam loquantur, non nisi optimum expe-  
 ctandum esse ab illo, existimari posset. Quando tamen  
 videtur ei, apud Avicennam fermonem esse de quodam,  
 quod *proprium est calculo vesicae* (§. LXVII.) videntur  
 haud parum obstare huic opinioni quæ statim initio ca-  
 pitis præmonuit AVICENNA, verbis: *Dicamus hic cu-  
 rationes, quæ sunt lapidis Renum proprie & communes ei  
 cum lapide Vesicæ: deinde faciamus ad lapidem Vesicæ capi-  
 tulum singulare, & curationes singulares proprias.* De  
 ZACUTI, putantis fermonem esse de calculo Renum,  
 non tamen qua generationem, sed accessionem seu paro-  
 xisimum spectato (§. LXIX.) conciliatione quid sit ha-  
 bendum, in vtramque posset disputari per latinum con-  
 textum, in quo præcedit proxime recensus prohibitivo-  
 rum quorundam generationis, vt nominatim vini albi,  
 clysterum, vomitus post cibum, & balnei, quorum vsu  
 laudato, mox subjungitur de cavendo eorum, tanquam  
 generationi ejus potius velificanti, abusu, quorsum etiam  
 refert administrationem extra paroxisimum, sequenti hac  
 cautela, qua cum comma istud controversum immediate  
 visitur coherere. Ita enim verba fluunt: *Et quando  
 multus vsus est illorum, mollificant virtutem renum, & simi-  
 liter si administrantur in hora, in qua non sunt necessaria le-  
 nificatio & sedatio doloris.* *Faciunt enim & renes suscepti-  
 biles*

*biles materiarum effusarum ad eos, propter mollificationem ipsorum, & dormire super dorsum est ex eis, quæ lapidi conferunt.* RORARII tamen sententiam, ob antecedentia immediate simplicissimam & convenientissimam dixerimus, si originalis, quod dijudicationi aliorum relinquendum, sermo eam ferat.

## §. 73.

Progrediendum nunc ad duos abdominales morbos reliquos, in quos a Decubitu sub somnum supino, facile incidere plethoricos, adfirmavit loc. in §. LX. cit. Illustr. b. m. HOFMANNUS, *uterinas puta sanguinis profusiones, & pollutionem nocturnam.* Sunt hæc accipienda dubio procul de *Supino* sumto fricte, prouti verba jacent & ex usu loquendi recepto. Qua ratione neque his contrariatur, quod in laudata Dissertatione nupera, de necessaria Medici ad ægrotantium cubitus attentione, *Buchnero-Rumpbiana*, §. 27. *supinus* situs commendetur iis, qui nimis atque frequentibus *sanguinis* ex ano, *utero*, aut vesica *vrinaria*, *effusionibus* debilitantur, ob faciliorem, *sanguinis* per abdominalia, *venæ* imprimis portæ, *vasa* progressum. Diserte enim additum deprehendimus ibi in genere non tantum, *aliquantum* tamen eum in alterutrum *latus* debere esse conversum, verum idem quoque dein quod ad *uteri* hæmorrhagias speciatim adhuc repetitum, atque, quamquam aliis, sed combinandis facile de rationibus, inculcatum, his omnino verbis: *Parum tamen simul in alterutrum latus inclinetur corpus, ne ab incumbente tota intestinorum mole dictæ affectæ partes, imprimis, qui inter illas plurimis copiosissimisque vasculis sanguiferis compositus est, uterus, prorsus supino et in dorsum reclinato decubitu, nimis compriman-*

tur, atque ad largiores & fere perpetuas hæmorrhagias irruentur.

§. 74.

Quod attinet denique ad *Pollutionem*, esse sermonem, de ista sub somno quæ contingere solet, jam indicare debet adjectum, quo dicitur *nocturna*. Quod vero in decubitu ut plurimum accidat, supino, constantis est observationis. Unde quoque est, quod existiment præeunte ARISTOTILE nonnulli, animalia in dorsum decumbentia nunquam, ab eadem vivere immunia prorsus. Contingere tamen illam pronis etiam & in latera jacentibus adnotavit præter alios ROLFINCIUS de *Pollutione nocturna* Cap. VII. Alia eademque non ignobilis est quæstio, an mentis s. imaginationis, per conceptam ideam veneream, ad excretionis actum necessario requiratur cooperatio cum iis quæ sub somnum decubitu supino in corpore tunc geruntur? Adfirmat G. W. WEDELIUS, de *Insomniis*, Cap. II. p. 17. rem totam explicare conatus hisce. „Positus hic, quoad corpus, sanguini in vasis majoribus incalescentiam, pro lectorum nostrorum modulo inprimis, conciliat facile; unde per ramos arteriosos ad genitalia abeuntes, delatus, non abludentibus nervis ipsis, poros dilatat magis, & ὀργασμὸν semini conciliat, ut Somnium venereum concipiatur, indeque excretio. Imo nec venereæ Ideæ semper obveniunt eadem, sed latius sumte & aliæ licet, eventu tamen originem hanc seu objectum genuinum ostendunt. Adfirmant etiam alii: dicant experti, quibus fallax dormientibus somniantibusque ita imponit venus; & dispiciatur an & quatenus recte, sin ita, nocturnæ pollutionis definitionem ingrediatur idea excretionis involuntariæ?

H 3

§. 75.

§. 75.

De THORACIS incommodis atque morbis quædam nunc quoque dicturis memoranda venit *Respiratio difficilior*, qua de HOFMANNUS ita docet: „Neque pro sanitate est supinus decubitus, quia vasa dorso infrata valde in calescunt, pressisque musculis thoracem elevantibus, difficilior fit respiratio, I. in §. XX. citato. *Motui diaphragmatis libero restitit*, agente G. W. WEDELIO de *Dieta Litteratorum*. S. I. Cap. I. §. 4.

§. 76.

De *Incubo* idem HOFMANNUS ibidem: „*Plethoricos* omni cura fugere oportet supinum decubitus, *facile enim incubo premuntur, cujus causa a sanguinis in pulmonibus stagnatione deducenda est.* Quibus cum comparanda etiam veniunt præcedentia illic Viri verba §. proxime præcedente adlegata. Crebra hic obvia sunt sententiarum divortia. Alii naturam hujus morbi ex impedita respiratione, iterum alii ex spastica, alii ex paralytica thoracis & abdominis constitutione & rursus alii ex sufflaminato spirituum influxu explicant, bene observante Academiae hujus olim, & dein Lundenfis Clarissimo Professore Medico, JACOBO von DÖBELN, in *de Vampiris non Vampiris, sed productio quodam morbofo, Incubi nomine dudum noto*, Cap. II. §. I. quibus tamen adhuc addi possunt plures. Ne enim dicamus de plebejo illo & medico rationali prorsus indigno errore quo ab externa respirationem ocludente compressione incumbentis amasii amasæque quanquam absentis, vel ipsius etiam demonii cujusdam affectus iste derivari solet, THOPHRASTUS PARACELsus, a nuditate, quam



quam sibi imaginabatur, cordis lateris superni in decubitu supino ab aqua pericardii, eum deducit, alii adhuc aliunde, quibus obviam, egregie, qua quædam momenta, ivit in de Incubo Dissertatione, BERNHARDUS ALBINUS, Thes. V. Legi etiam & expendi merentur, quæ in Dissert. ejusdem argumenti LUTHERO-HAGEDORNIANA §. VI. seqq. de dividendo Incubo in essentialem consensualemque, illiusque potissima causa Plethora, & Vera & spuria quoque, edisseruntur. In eo denique omnes facile tamen conspirabunt, ad primariam aut frequentissimam saltem Incubi occasionalem causam situm dormientium supinum esse referendum, experientia quippe id comprobante.

§. 77.

Eadem ratione conferre aliquando valet sanguis sub isto situ ad CORDIS PALPITATIONES, hinc *Anevrysmata* dilatando, uti *Polypum* stagnando. cf. BOERHAVII *Prælect. Acad. in propr. Instit. rei med.* Tom. VI. pag. 214. s. ad §. 826. edit. III. HALLERI. *Transpirationis* circa pectus *impeditæ* acufatur denique idem ab Illustr. Jb. m. quondam etiam nostrate, GEORGIO DETHARDINGIO, verbis: *a supino pectus frigori magis expositus manet, hinc transpiratio, quæ circa idem vbertim magis solet & debet obtinere, in tantum reprimatur, in Manuduct. ad vitam longam* pag. 55.

§. 78.

Nunc denique CAPITI quaenam accidant sub situ supino, et in oeconomia animali evenire creduntur turbæ, edisserendum restat nobis; quare sequentia iuvabit in apricum produxisse virorum doctorum efata. *Quemadmodum Corporis situs e rectus ad faciliorem*

ciliorem sanguinis a Cerebro ad Corregressum facit, ita horizontalis decubitus eidem resistit, ut loquitur HOFMANNUS Med, Rat. System. Tract. I. Sect. J. Cap. VIII. de sanguinis circulo, §. 7. Situ in dorsum tota Cerebri moles cerebello incumbit, septum duræ matris inter cerebellum relaxatum omne cerebri volumen retinere ac sustentare nequit, quapropter commodus spirituum fluxus impeditur, et consuetus morbus est Incubus, ajente Clariff. J. E. STIEFIO, in de morbis ex somno, §. 34. conferatur, §. præced. LXXVI. Notum est, quod pori Cerebri facile subsideant præcipue initu (leg. in situ; initus enim ad venerem spectat, non vero somnum) supino, quo circulatio lymphæ et spirituum impeditur; inde torpor spirituum, obstructionsque, mors ipsa sæpius dormientibus obvenit, ut qui sani & salvi lectum frequentarunt, hos mane mortuos invenerint. Ita JOH. HERM. FURSTENAU Rintel. Dissert. de vita longa, Cap. II. p. 14. Resupine dormire & malum, & ad malas præparans ægritudines, sicut Apoplexiam, & Paresin; (seu uti in margine, Paralyssin) et incubum; quoniam superfluitates ad posteriora declinare facit, et retinentur, & per suos non incedunt canales naturales, qui sunt ab interioribus, sicut nares & palatum, monente AVICENNA, Canon. L. I. F. III. Doct. II. Cap. IX. Quod sequitur schola Salernitana dicens: Supinus gravissimis ægritudinibus, lepræ nimirum, manie, Incubo, Apoplexiæ, stupori, nervorumque resolutioni, & similibus initia præbet; Nam ob superfluitatum ad posteriora fluorem non potest iusta per nares & palatum earundem fieri expulsio, Cap. V. in Addit. & iterum, in adjunctis Nonnullis KATZCHII iuxta placita ex Hippocratis & Galeni libris desumpta (ita inscriptio habet) legitur: In dorsum dormire supine

supine omnibus malum est, quia praeparat corpus ad multas et periculosas aegritudines, *superfluitates cerebrales retinendo, atque ab expulsionis viis averiando, quae in anteriori parte capitis existunt.* Nec plane hic praetereundum, quod habet PLINIUS l. §. citato, nimirum: ARISTOTELES et FABIANVS plurimum somnari circa vernum et autumnum tradunt, *magisque supino cubitu, at prono nihil!* Denique ne hoc, quod, ex observatione ANDR II inferius §. XCI. legenda, a decubitu infantum in occiput supino *Capitis figura* in compressam abeat atque latam,

§. 79.

Mirari itaque subit, quod referente RODERICO A FONSECA in *de iuenda valetud. et producenda vita libro, C. XVIII. pro Secreto ad Catarrhum* aliqui habuerunt tamen, consilium, et quod secutus est ipse in praescribenda diaeta obnoxiiis *catarrho*, scilicet *dormire capite non altiore pedibus sed aequaliter locato, ita ut nil sub capite subdatur;* qua ratione censent prohiberi, ne vapor sursum aut humor deorsum descendat! Quicquid enim etiam fit de iurejurando, quo, adnotante eodem *Damianus Dies* experientia se probasse id in se ipso, et in aliis affirmavit, veluti ex *Mercuriali* adceptum et comprobatum; adeo tamen remedio huic tuta non est fides, ut non auctimus illud sive *praeservative* commendare sive *curative*, cum situs ejusmodi supinus potius fluxionum causa dicendus videatur haud frustra SENNERTO IV. VI. IV. p. 85 l. et cum longe graviora, imo gravissima metuenda veniant mala, a *retropulsione* materiae catarrhalis, ab organis excretoriis naturalibus proximis et extremis, ad interiora capitis iterum partesque adeo nobiliores; praesertim

I

nisi

nisi utroque casu congrua humorum corrigentia interponantur, corrigi vero nesciis alia loca evacuationi convenientia adsignentur tempestive et substituantur, quibus tamen de cautelis inibi altum observatum videmus silentium esse. Quanto itaque magis placet. J. W. WEDELI consilium: *Situs capitis sit elatior!* quod offendimus sub finem Dissert. ejus de *Coryza*, ut et quod a PLINIO l.c. *cubitus in latera commendetur ad verum de stillationes.*

§ 80.

Eadem, partim facilius adhuc, et in auctiori gradu partim, eveniunt sub *Capitis* situ prorsus *demisso* s. *declivi*, quin superveniunt ei propria alia. Valent huc quoque verba Illustr. HOFMANNI, in scholio ad §. ejus modo allatam (§. LXXVIII), nimirum: „patet iam ratio, quare *capitis situs declivior somnum* invitet, neque unquam utilis sit in *affectionibus capitis* - - - caveant sibi quoque omnes *plethorici* a decliviori capitis situ. Inprimis altero loco, (L. II C. V. in schol. §. 34.) ab eodem, quanquam de decubitu laterali ibi statuente, prolata. „*Declivior decubitus sanguinis ex capite regressum* quodammodo *impedit*, quia is per venas iugulares descendere debet, quod elatiori capite commodius peragitur. Hinc capite nimis demisso ac depresso, *profundiores somni cum insomniis* fiunt, et *universo corpori* inducitur. Hic commodus locus videtur patere de noxis atque morbis a somno *nimio* edifferendi, id quod vero in Sectione praecedenti data opera praeflitum iam fuit. Progredi itaque licet, et audire multoties laudatum WEDELIVM quoque, in Dissert. de *Insomniis* allegata, pronunciantem ita: „*Positus vero idem (supi-*  
nus

nus) quoad caput, si declivius supinetur, contrarius evadit periodo lymphæ, quæ cum e poris eluctari hinc minus queat, ad eodem affectus (*Somnia turbulenta, terrificæ et suffocativa cetr.*) ipsamque apoplexiam maxime facit. Doctissimum item STIEFIUM, cujus hanc in rem in *Dissert. de morbis ex somno* l. c. sequentia legi hic quoque merentur verba: „*Declivis capitis situs, brachiis elevatis et supra exporrectis, non sat sibi relictos musculos pessime disponit, et humorum per vasa circulationem difficiliorem facit, cum qua eadem RESPIRATIO et perspiratio conjungitur. Inde Caput humoribus operitur,* (ad quæ in nota subjecta monet, multum serum vel lympham in cerebro collectam et ex vasibus ruptis effusam, frequentius causam Apoplexiæ et *Letargiæ* fuisse, id BONETUM ostendisse in *Sepulcret. Anat. L. I. Sect. III.*) *vasa nimis expansa turgent, sensus torpent, atque Caput dolet. Deterius enim semper versus superiora, humores propellere, quam versus inferiora.*”

§. 81.

De reliquo, quam inimicus negotio vitali, imo ipsi vitæ iste capitis situs existat et exitialis subinde, patet quoque, et luculenter satis, ex nefando illo circa moribundos experimento vel facinore potius, quod, subtrahendo illis ad accelerandam mortem pulvinari committitur passim. Rem ita explicat HOFMANNUS, l. c. pergens: „*Neque obscura amplius erit causa, quare, si morti vicinis pulvinor subtrahatur, et capitis situs declivior fiat mors accelerari possit. Reddita enim majori sanguinis stagnatione in cerebro ejusque refluxu ad cor impedito, motus cordis iam languidissimus penitus exstinguitur.*” Ple-

nus eam depingere conatus est Clariff. KNOLLIUS I. c.  
 p 10. f. scribens: Die Platte Lage scheint fürchterlich zu  
 seyn. Einige nehmen ja den Sterbenden das Kopff. Küß-  
 sen allmählig weg, um sie desto eher aus dieser Welt zu  
 schaffen. Sie vermeinen es aber dabey gut. Ist es ein-  
 mahl gewiß, der Krancke wird in einigen Minuten gewiß  
 sterben, so kan ich nicht leugnen, der Todt ist weit geschwin-  
 der. Denn da doch das Blut in seinem Umlauf allmäh-  
 lig nachläset, so muß es wohl in dem kleinsten Geäßer all-  
 mählich stocken. Dahero bekommt das Herz einen Wider-  
 stand, den es im Zusammenziehen überwältigen solte. Die  
 Absonderung des Nerven-Saftes ist dabey auch gemin-  
 dert. Derowegen verlieret das Herz zugleich seine gehö-  
 rige Activitet. Kurz, es kan nicht so viel zu den Theilen  
 des Körpers schicken, als es aus der Lungen erhält. Es  
 samlet sich nach und nach in der Lungen. Die Brust  
 fängt an zu rächeln und zu kochen. Zulezt kan es aus  
 andern Theilen nicht zurück fließen. Das Athem holen  
 wird beschwerlicher durch die niedrige Lage. Das Bluth  
 und der Nerven-Safft können vom Kopffe zu der Brust  
 nicht gehörig herabsteigen. Dahero läset das Herz in  
 seiner Activität vollend nach. Derowegen sterben sie et-  
 was eher. Non vacat singula disquirere prolixius, ne-  
 que vero res pertinet ad institutum, decubitum quod  
 spectat dormientium, eorundemque proprie sanorum,  
 nisi quatenus thesi probandae illustrandaeque inservit.  
 Plura qui cupit, ex sententia inprimis veterum, adeat  
 CASPARIS QUESTELII Differt. de pulvinari morien-  
 tibus non subtrahendo, f. von Abziehung der Sterben-  
 den Haupt-Küßen. 2c.

§. 82.

Lustrato sic, juxta ordinem §. 58. praefinitum, horribili prorsus exercitu malorum, quibus sanitati imo vitae dormientium insidiari accusatur sparsim et a diversis decubitus supinus, de illo sive condemnando sive absolvendo, quid sentiamus, dicendum nunc summatim nobis venit. Distinguendum autem existimamus ante omnia sollicite esse inter decubitum *in dorso*, tanquam *Genus*, et decubitum *in dorso* a) *planum* l. *horizontalem*, das Platt auf dem Rücken liegen: β) *inclinatum*, eundemque iterum 1) *antrorsum* s. *acclivem*, *aufrecht*, *hoch* oder *erhaben*, 2) *retrorsum* s. *declivem*, *niedrig* liegen, tanquam decubitus *in dorso* *Species*, easdemque, excepta prima, *gradu* iterum differentes; quibus an ex §. LXXIII. accedere debeat *mixa* quaedam s. *media* inter decubitum *in dorsum* et decubitum *in latus*, dispiciant alii, nobis interea propensioribus tamen magis, *lateralis* istam accensere. Neque minoris porro erit necessitatis distinguere in decubitu *in dorsum*, *particularem* etiam *capitis* (nec membrorum, ceu brachiorum coetr. positu, omnino neglecto) *situm*, num *rectilineus* is sit, an vero *reflexus* et *inclinatus*, *antrorsum*, *retrorsum*, *lateraliter*, idemque vel *plus* vel *minus*. Deinde consideratis sic probe varietatibus qua decumbendi *in dorso* *Modum*, rationem quoque *Subjeeti* rite tenere atque habere iuvabit plurimum, qua v. gr. *aetatem*, *sexum*, *vitalis genus*, *habitum* atque *constitutionem corporis*, *dispositionem* ad quosdam morbos, vti v. c. ipsum calculum, *haereditarium*, ipsam aliquando *in adultis consuetudinem*, transiit quae *in alteram naturam*. Tandem neque *Adjunctorum* quorundam vti *temporis*, et *loci*, reique *substratae*, ratio erit posthabenda. Distinguenda

guenda denique ab his, quae ex *natura* ipsius positus  
 eventiunt mechanicè, aut *per se*, sunt curatius ea, quae  
 adveniunt magis ex *accidenti*, ut suum sic cuique tri-  
 buatur.

§. 83.

Juxta ejusmodi proinde differentias cum veniat utri-  
 que statuendum, ut hujus rei aliquod hic faciamus peri-  
 culum, *Decubitus in dorsum* qua 1) *Modum*, noxius ade-  
 oque damnabilis, maxime est censendus *declivis*; minus  
 parum, *horizontalis*; minime *actiois*. Qua 2) in eodem  
 specialem *Capitis situm*, in decubitu in dorsum cujuscunque  
 modi, pessimus est demissus *retroflexus*. In acclivi specia-  
 tim, innocens videtur quidem *rectilineus*; commodus tami-  
 en magis est leniter *pronus*; tolerabilis etiam *lateralis*, nisi  
 excedens. Qua 3) *Subjectum*, praesertim *Plethoricis* is obesse  
 potis est, hinc *junioribus*, *foeminis* quibusdam, *obesis* etiam  
 aut *corpulentis*, ad morbos item quosdam a decubitu in dor-  
 sum observatis frequentius, *dispositis hereditarie* coetr. Qua  
 4) *Adjuncta* et accidentia, maxime a *prandio* statim atque  
*cocna*, gravibili, lauta, in *culcitrīs* item *plumeis* et sic por-  
 ro. Rationes peti ex praecedentibus maximam partem  
 facile queunt; de substrata vero speciatim plumbea nu-  
 be et simili materia quadam, excalfactionis dorsi nimiae  
 et hinc oriundorum malorum accidentali causa, differen-  
 di pluribus in Sectione subsecutura IVta erit locus.

§. 84.

Quanquam vero sic fuerit omnino deprehensum,  
 decubitus dormientium in dorso, neque omnem, ne-  
 que omnibus, certe non ex aequo, malum mereri dici;  
 et quanquam idcirco is, (non pessimi tamen modi et  
 debita cum cautione) extraordinarie quibusdam et  
 ad



ad tempus concedatur recte, vti v. g. viribus resolutis, et ex longo itinere fatigatis, quia eo situ membra omnia in imum decumbentia otiantur, a ZACCVTO supra § LXIX. memorato, quibus cum comparari merentur haecce AVICENNAE: *somnum, qui resupine fit, solent incurrere infirmi, debiles, propter illud, quod musculis illorum accidit ex debilitate, et eorum membris; et quia unum latus aliud ferre non potest; immo cito resupini volvuntur, quoniam dorsum latere fortius existit,.* Pro ordinario tamen, ob tutius, decubitus in dorsum a nemine temere erit deligendus. Quin praestat monere de fugiendo eo, quasi latente in herba angve, tanto circumspicte magis mortales incautos, quanto magis, etiam in non optima forma adhibitus, sub accessum gravis somni his blanditur plerumque, principioque gaudet suavi, dulci; cum tamen continuatus frequentatusque, finem, coronare qui debebat opus, (sed quem parum hi attendere sunt adfveti) sortiatur, non observatis rite observandis, nimis facile amarum, imo prorsus funestum aliquando. ¶

§. 85.

Ad *Idam* nunc progredimur e generalioribus dormientium quatuor DECVBITVS formis s. modis § LVII. qui fit in VENTREM sive PRONVM. Hic quoque pro *Ordinario* haud erit eligendus. Sed nec facile eligitur a quopiam isto scopo, aut multos adeo amafos invenit, quia non ita vt supinus insidiosè is blanditur, verum incommodat partim manifesto magis. Etenim, vti nervose STIEFVS l. cit. ait: in Ventrem si decumbimus, *cartilaginem xyphoideam retorquemus, respirationem difficiliorem facimus, diaphragmatis, ventriculi, intestinorum ac musculorum addominis, actionem morumque peri-*  
*stalti-*

*istaticum laedimus: ne dicam multa de situ cordis perverso circulum sanguinis dirigente: Haftenus kille. Quod oculis etiam noxius evadat, recte, quanquam non per omnia satis clare, monetur in Addit. Schola Salernitanae Cap. III. 31. verbis: Pronus decubitus temperatis corporibus non convenit, ventriculi enim contorsionem et repressionem facit, adeoque oculos ablaedit. Sed et ita cubantibus superfluitates in oculos declinant, maxime si fuerint natura debiliores.* Applicari huc possunt suo etiam modo, quae de capitis gravitate, et *ophthalmia* ex somno sedentis facie prona ac declivi, ob difficiliorem sanguinis regressum, allata sunt supra §. LIV. ex HOFMANNO.

§. 86.

Quod vero additur per modum exceptionis ibidem in *S. salernitana*, nimirum illis tamen, quibus ingestus cibis tardius in ventriculo conficitur, interdum concedendum esse, propterea quod calorem naturalem arctius comprehendens retinere atque eum augere possit, illud ex mente AVFICENNAE, cui ista debentur, accipiendum esse, non nisi de somno inchoato, aliquando et ad breve tempus, clarum fit ex sequentibus eius verbis (loco §. LVII. citato). „*Quod si ejus (somni) inceptio super ventrem fiat, auxilium fert satis magnum in digere, propterea quod calorem retinet naturalem, et ipsum comprehendit, quare augetur; cum interim lateralem tamen primario laudet idem, ut ex sequentibus patebit.* Excalferi quodammodo autem isto modo ventrem adeoque et ventriculum posse, concedimus faciles, et testantur vel experimenta crebra nostratium rusticorum, sub dio per noctem aut diluculum, aere existente

stente

flente frigidiore, moratorum, verum pertinent hæc ad extraordinaria, quae necessitatis aliquando fieri videntur. Neque porro negamus, caloris naturalis conservationem coctioni existere amicam, ast cum tamen eidem coctioni, praeter incommoda, quae secum vehit, reliqua, alio modo non obsit parum decubitus in ventre (§. praeced.) ; idcirco non tantum diu non erit in illo perseverandum, vti innuit recte AVICENNA, verum et praestabit omnino, ab eo, qua fieri potest, abstinendo in totum, alia quadam et innocenti magis ratione ventriculum forte debilem fovere.

§. 87.

Reprobatis itaque decubitus dormientium supino atque prono, supersunt Illtio DECUBITVS dormientium in DEXTRO, et IVto, in SINISTRO latere, de quibus vero agere hic conjunctim expedit. *Lateralis* itaque *decubitus*, quod repudiatis supino atque prono, fit pro *Ordinario* eligendus, observato tamen simul membrorum quoque commodo quodam situ, in eo conveniunt Diaetologi circumspetiores ad vnum omnes, cum veteribus recentiores. Figurae delineationem suppeditat SENERTVS Instit. med. IV. II. IV. p. 891. talem : *Est et decubitus quaedam forma servanda, nimirum cruribus et brachiis modice contractis, capite non nihil elevato et corpore reliquo, quantum fieri potest, mollissime posito, super alterutrum latus.* HOFMANNVS l. c. L. II. C. X. §. 34. describit ita : *optimus in somno decubitus fit in lateribus, capite paulum elatiori, et corporis trunco inflexo, cruribusque aliquantum contractis.* DETHARDINGIVS in laudata *Manud. ad Vit. long.* p. 55 *Decubitus sub somno optimus est, qui fit capite parum eleva-*

to, brachiis cruribusque modice retractis, in latus alteru-  
 trum; Clariff. STIEFIUS loco memorato: *Saluberri-  
 mus situs, musculis desideratam quietem concedens, nec  
 perspirationi contrarius, est, qui fit capite paululum elevato,  
 brachiis cruribusque retractis, in alterutrum latus.* Praei-  
 vit, aliud quamvis agendo, divus HIPPOCRATES  
 Praenotionum III. docens ita: *Decumbentem aegrotum  
 a Medico deprehendi convenit in latus dextrum aut fini-  
 strum, et manus, et collum, et crura, modice inflexa haben-  
 tem, et totum corpus flexibile situm.* Ita enim plurimi ex  
 sanis decumbunt; optimi autem sunt decubitus, qui sa-  
 norum decubitibus similes existunt. Haecenus HIPPO-  
 CRATES.

§. 88.

Ad quaestionem, in quonam praestet decumbere  
 latere? iuxta sollicitam temporis somno destinandi di-  
 stinctionem in stadia duo aut tria, respondent pluri-  
 mi, quorum quosdam, et valentes autoritate et pugnan-  
 tes rationibus nunc producemus. Audiatur itaque  
 primo AVICENNA, qui l. modo citato, *sed quae*, inquit,  
*ex figuris somni est melior? est, ut super dextrum incipiat la-  
 tus, et deinde ad sinistrum revolvatur!* Rationes submini-  
 strare potest alius locus, L. III. F. 13. Tract. 3. Cap. 5.  
 vbi: „Et somnus omnis juvat digestionem. Verum  
 somnus super sinistrum est plurimi iuvamenti in hoc  
 propter comprehensionem hepatis super stomachum.  
 Sed somnus super dextrum est causa velocitatis descen-  
 sionis cibi, quoniam situatio stomachi facit illud neces-  
 sarium.„ Huic subjungimus statim et in commenta-  
 rii cujusdam simul quasi vicem, *Scholam Salernitanam,*  
 cujus loc. citato isthaec habentur: „*Supra dextrum latus*  
 somnus

*somnus inchoandus.* Hoc enim modo cibus promptius per stomachum gulamve in ventriculum descendit. Nam etsi gula exacte supra medium cervicis vertebrarum et quatuor primarum thoracis sedens in neutram partem inclinet, ad principium tamen quintae thoracis vertebrae, ut ampliori magnae arteriae trunco secundum dorsi vertebrae inferiora corpora petenti cedat, non nihil in dextrum latus a media vertebrarum regione abscedit. Deinde primo somno finito *revolvendum est corpus, supra sinistrum latus redormiendum*, quo scilicet a jecore, ventriculo incumbente, ventriculi calor augeatur, ejusque concoctio adjuvetur. *Hinc rursus post breve temporis intervallum in dextro latere ad consuetum surgendi tempus continuandus est.* Ex Germaniae Doctoribus loquatur WEDELIUS. Ita vero is in de *Diaeta litteratorum*: Somnum, inquit, *in dextrolatere incipere ventriculi structura quodammodo jubet*; in eo quippe Pylorus, per quem emittitur, quidquid coctum ad intestina ablegandum. *Quando Chylus exiisse praesumitur, consultum est decubitus mutare, laterique sinistro innitendo somnum ad auroram usque continuare, quo absoluto ad priorem redire decubitus, ut quicquid per somnum coctum effluat.*

§. 89.

Econtra non desunt inter recensiores quidam, qui regulam istam susque habentes deque, *cuinam incumbatur lateri, perinde esse* autumant. Verum, res si penitus introspectiatur, datur conciliatio, juxta quam posterior haec sententia priorem tollere nequit, potius subscribi potest huic, salva monente illa, et vicissim, sive, quod idem est, utriusque. Est enim illa, quod probant additae virorum doctissimorum rationes manifeste,

fecto, hypothetica non nisi aut conditionata, ventriculum nimirum supponens dormituri cibi hucdum plenum. posita itaque hacce conditione saluberrimum esse omnino de somno in latere dextro nominatim inchoando et porro, consilium suppeditatum, dicitur ratio, et ad ejus ductum confirmatur pulcre ab ipso principe systematicorum recentiorum, HOFMANNO, §. XXXVI. praeferente ita: *Ventriculo cibi repleto, praestat prius lateri dextro incumbere, eo quod Chylus promptius sic ad intestina descendere potest, et hac etiam ratione praecavetur, ne hepatis ponderosum viscus ventriculo incumbens, graviter eum comprimat.* Non posita vero hacce conditione, cessanteque sic simul electionis istius ratione, perinde habendus magis ac indifferens, hoc saltem respectu, evadit utique decubitus in lateribus. Verum per vices et cum variatione tamen hocce quoque casu. Nam, ut habet recte Scholion ad EOBANI HESSI Carmina de tuend. bona valet. fol. 36. 2.: vnum latus non sufficit sustinendo semper totius corporis oneri; est igitur opus vicissitudine.

§. 90.

Coronidis loco subnectere visum est quaestionem specialem utilissimam: *An nimirum de salubri dormientium decubitu asserta hactenus, Infantibus convenient quodque?* Quaestionem hanc nos merito adfirmamus, obstante quamvis praxi vulgari et opinione quorundam. Quae res ut intelligatur rectius, juvabit potiores hic repetere ex superioribus decubitus salutaris Leges enucleate, atque adplicatione facta, quod et cur competant iisdem, dare explicatum.

§. 91.

§. 91.

*Imo: Decubitus in dorso in ordinarium non est eligendus (§. LXXXIV.). Haec lex quod de infantibus valeat itidem, docet identitas rationum, §. LIX. sqq. vbi imprimis meminisse etiam oportet plethorici infantum status. Hdo: Neque vero pronus s. in ventrem, (§. LXXXV.) Ex rationibus ibi additis, illa, a difficultate respirationis (inspirationis expirationisque) ducta, in infantes teneros, fasciis praesertim constrictos, cadit non tantum, sed et ob periculum suffocationis plenariae, modo tam eminenti, vt reliquarum adlegatione supersedere etiam queamus. Illtio: Est itaque in lateribus cubandum, (§. LXXXVII.). Aliae enim non supersunt generales decubitus formae s. figura (§. LVI). IVto: Non tamen in eodem continuo latere, potius sed per vices (§. LXXXVIII. et LXXXIX.) Rationem suppeditat generatim idem paragraphus ad finem. Eminentiori vero adhuc multum gradu quod quadret in infantes, dilucide exposuit BOERHAVIUS, quando in Praelect. Acad. Jll. HALLERI cura editarum vol. IV. p. 186 ita scribit: Soepe fit, vt haec foemina (custos) plurimum noceat puellis, dum eos in idem brachium eundemque situm semper reponit, cum corpusculum in omnem situm (excipitur prorsus pronus, in dorsum conceditur, variationis ergo) poni, et undique aequaliter premi oporteret. Ex hoc vero pessimo more, ea pars minus crescit, cui puer innititur, altera vero liberius, inde deformitas. Inde non raro femur alterum aut brachium debilitatur, aut omnino paralyticum redditur. Quam vero fontica mala! His scriptis, succurrit insignis apud D. ANDRY, Medicum primum Parisiensem, in Oribopodia s. Kunst bey den Kindern die Ungestattheit des Leibes*



zu verhüten und zu verbessern. *Tom. I, pag. 309, locus, diversas diversarum gentium, ex compressione vario modo et partim etiam decubitu invariato facta, ortas capitum figuras delineaturus, quem lectoribus considerandum curiosius exhibemus.* Der Kopf eines Kindes, inquit, nachdem er auf die eine oder andere Art gedrückt wird, nimt diese oder jene Figur an. Daher kömmt der Unterschied, welcher unter den verschiedenen Völkern, in Ansehung der Figur ihrer Köpffe gefunden wird. Die meisten Flamänder J. E. und die Parijer haben lange Köpffe, wegen der unter ihnen beobachteten Gewonheit, die Kinder auf den Schläfen schlaffen zu lassen, und sie mit gewissen Nützen, Beggwienen genannt, fest zusammen zu ziehen, welche die zwei Seiten des Kopfes zusammen drücken. Die Deutschen hingegen haben fast alle breite Köpffe, weil sie die Mütter auf den Rücken in die Wiege legen, und auch wohl die Hände an die zween Flügel der Wiegen anbinden, um zu verhindern, daß sie nicht fallen, welches sie aussere Stand setzet, ihren Kopf anders als rücklings zu legen. Die Moscowiter haben vorwärts platte Köpffe, weil ihre Mütter besorget sind, sie auf diese Art zu drücken. Die Völker in Antwerpen haben einen runden Kopf, wegen dergleichen Zusammenziehung welche die Ammen dabey thun. Die Brüssler haben eben dergleichen, wegen gleichmäßiger Ursache. Die Genuefer haben das Obertheil des Kopfes sehr erhaben, wegen der Art, wie man ihn denselben gleich nach der Geburt einwickelt. *Quantum damni ab elongatione capitis per compressionem artificiosa, eveniat aut immineat corpori animoque, recenset, matres familias*



lias ab illa dehortatus sedulo GVILH. FABRICIUS.  
HILDANVS, *Observat. Chirurg. Cent. II, Obser. XCIX.*  
Sed missis his est pergendum nobis.

§. 92.

*Vto: Et ventriculo quidem cibus repleto, praestat prius lateri incumbere dextro; (§. LXXXIX).* Infantes autem nisi satiatis bene lectulo vel cunis tradi vix unquam, ecquis est, qui ignoret? Quare, haec quoque Regula quam optime convenit illis; ista tamen sub cautela expressa, violenta a imprudens cunarum commotio aut iactatio ut absit omnino. Haec enim affectus vertiginosos producit, placidae ingestorum lacteorum et aliorum digestionis contrariatur, ad vomituritiones disponit molestas noxiasque, aut chymum adhuc crudum non coctum ac filtratum sufficienter ad intestinorum canalem protrudit. Inde vero tormina, diarhoeae, succi nutritii depravatio, adeoque sanguinis et humorum. *Vto: Capite leniter elevato,* quod valet ex parte tam de supino decubitu, quam laterali (§. XXXVII, collat. LXXXIII, et LXXX.) Infantibus vero situs capitis horizontalis vel etiam declivis prorsus ac depressus, noceat oportet tanto magis, quanto est certius, in infantia Caput ob nimiam humiditatem fibrarumque flacciditatem (confer. HOFMANNUS *Tom. II, Cap. VI, §. 19.*) naturaliter iam et per se ad morbos maxime esse dispositum, qui fiunt ab ejus oppletione a stagnationeque humorum, quare frequentiores huic aetati sunt achores, tineae, crusta lactea, et praeter alia ipsae etiam epilepsiae. Hinc suspectum omnino fit consilium, subpeditatum ab ANDRY, l. cit. pag. 119, sequens nimis:

rum : Man darf die Kinder auf keinen hohen Kopfffüßen schlaffen lassen , oder ihnen gar keine Kopff-Küssen geben , welches ein ander Mittel ist , dessen man sich nützlich bedienen kan , die Leibes-Gestalt der Kinder zu erhalten , wenn sie gerade sind , oder dieselbe wieder herzustellen , wenn sie sich zu krümmen anfangen. Et pag. 155. Um zu verhindern , daß die Schultern nicht krum werden , so muß man besorgt seyn , die Ellenbogen ziemlich rückwärts zu tragen , sie auf den Hüften zu setzen , und die Brust wohl aufzustrecken. Man muß die Nacht so platt schlaffen liegen , als möglich ist. Laudari e contra merentur , quae de Bronchocele ex capitis situ demissiori retroflexo infantum eveniente , monet, Titulo : Von wichtigen Unförmlichkeiten des Halses , nemlich , den Kröpfen und der Dickheit , p. 145. f. scribens : Es giebet Ammen , welche , wann sie ihre Kinder umwenden , ihnen den Kopff rückwärts hängen lassen , fast wie man ihn den Kälbern auf den Schieb-Karren hängen läßt , wenn man sie zu Markte führet. Nichts ist fähiger den Kindern einen dicken Hals zu machen , wann sie nur die geringste Einrichtung dazu haben : : Man muß also Acht geben , daß die Ammen den Kopf ihrer Kinder niemals hengen lassen , wann sie dieselben auf den Rücken über ihre Knie , oder auf das Bette legen , wie man sie ofte thun siehet.

§. 93.

Vltimo : *Et manibus , et collo , et cruribus modice inflexis , et toto corpore molliter et flexili sito , in quocunque latere decubitus fiat (§. LXXXVII.)* In hanc naturae et

et sanitatis Legem peccat equidem licentiose consuetudo nostratum quotidiana, ut quae fert infantes fasciis irretire non tantum, verum et constringere arctius, haud tamen impune, sed frequentissimo nec levi eorundem damno. Ex ventriculi enim, ut et thoracis, compressione, vomitionibus anguntur, impeditius fit, totum et concoctionis et respirationis negotium valde. Quare vel ex hac causa *Phthysios* in Anglia frequentiam derivare posse censuit SPIGELIVS, de *humani corporis fabrica*, L. I. Cap. XII. Variis praeterea quoque corporis deformationibus praebet ansam, de quibus conquerentem praeter alios vidimus iam expertissimum HILDANVM loco citato, verbis: „in quibusdam regionibus et familiis moris est, ut infantulos statim a partu involvendo, nescio quibus de causis, fasciis nimis arcte stringant. Unde saepius evenit, ut eorum corpora et artus, Gibbis aliisque deformationibus, genuum ac tibiam, etc. protuberent. Quin autem ob strictionem id accidat, non est quod quisquam dubitet: siquidem vasa adhuc tenera, mollia et cartilaginosa, facile retorquentur extraque sedem naturalem reprimuntur, quae dein paulatim excrescentia, indurescunt; id quod ego in multis observavi. Conquiritur etiam valde D. ANDRY, imo dubius haeret inde, p. 176. an non modo fasciationis in vulgus recepto, (cui corrigendo insudat ibidem) praestet usus ejus plane nullus: Die meisten Unförmlichkeiten, inquit, welche die Leibes Gestalt der Kinder angreifen, kommen daher, daß man nicht besorgt ist sie einzuwickeln, wie es seyn muß; und ich weiß nicht ob es statt der Art, wie man solches verrichtet, nicht besser wäre, dem Gebrauche der Schwarzen und etlicher andern Nationen

tionen zu folgen, welche wie wir oben bemercket haben, ihre Kinder niemahls einwickeln, als daß man die zarten und schwachen Glieder der Kinder durch starck zusammengezogene Binden, einzwinget, welche, so wenig Gewalt man auch bey denselben brauchet, nothwendig eine übele Gestalt annehmen müssen. Sed quidni praestet? cum et ratio illud doceat, et experientia confirmet gentium, totum negotium committentium naturae, secure et optimis suis rebus. Quam in rem juvat audire ipsum ANDRY, p. 173. notabiliter scribentem testantemque: *Hey den Schwarzen* (*Nouvelle relation de l'Afrique Occidentale par le P. LABVT*) Siebet man den Armen und Schenckeln der neugebohrenen Kinder eine Sattung der Wippe, welches viel beyträget, daß sie nicht zweywüchsigt werden; Allein man weiß in diesem Lande eben so wenig, als bey den Wilden von Canada und in Bear, was Kinder einwickeln ist. Man läßet die Natur in aller Freyheit wirken; und wie sie ihr Handwerck besser verstehet, als alle Wehemütter, alle Windel-Weiber und Ammen, so führet sie diese kleine Creaturen so wohl, daß man daselbst keine Bucklichte und Kröplichte darunter findet, als wie man dergleichen in Franckreich siehet. Consentit magnus BOERHAVIUS (loco §. XCI. cit.) graviter in nostram sententiam pronuncians atque eleganter, verbis: *Alius etiam pessimus mos est, fasciis infantes obvolvare. Natura foerum suspendit in media aqua tepida, ut flexio undique aequabilis foret. Nunc matres, pueros constringunt, ac capite ad pedes usque, ut Mumiae videantur, causantes, ita bene nata fore corpora. Quanto Deo sapientiores! In Asia pueros laxo tantum involucre tegunt, neque*

neque tamen ibi, vel gibbi homines, vel claudi, reperiuntur! Vidimus itaque, Septem istas, decubitus dormientium salutaris, quas eruimus ex ante deductis, potiores Leges; Infantibus quoque convenire omnino, quinimo passim in eminentiori prorsus gradu. Quare quaestioni etiam §. XC. motae sic cum fuerit satisfactum, Dissertationi huic facimus  
Finem.





Rostock, Diss., 1755-58


X.2284307

ULB Halle

3

005 047 935









Farbkarte #13

B.I.G.

Q. D. B. V.

DE

# SALVBRI SVB SOMNO SITV,

38

1755, 38

4

DISSERTATIONUM PHYSICO-MEDICARUM  
DE

## DORMIENTIBVS. TERTIA.

QVAM,

RÉCTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO,**  
DVCE AC PRINCIPE HAEREDITARIO MECKLENBVRGICO,  
PRINCIPE VANDALORVM, SVERINI ET RACEBVRGI, COMITE ITEM  
SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE  
DOMINO:  
*PRINCIPE ET DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO.*

ANNO MDCCLV. DIE XI. OCTOB.

PVBLICE DEFENDENT,

PRAESES

**GVST. CHRISTIAN. HANDTWIG,**


MED. DOCT. HVIVSQUE PROFESSOR P. O. SEREN, PRINC,  
CONSIL, AVLICVS,

ET

RESPONDENS

**CHRISTIANVS LVDOVICVS IOHANNES BEHM,**

NEOSTADIO - MEGAPOL, L. L. C.



**ROSTOCHII,**  
LITTERIS ADLERIANIS.

